

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7608

Auteur(s) : Foulques, Lisieux (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Mézidon-Canon, Sainte-Barbe-en-Auge (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1148, 20 janvier

Lieu d'émission : Lisieux

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de Foulques, doyen de Lisieux, par laquelle il notifie, en présence de Rotrou, évêque d'Évreux, administrant alors l'évêché de Lisieux, qu'une pièce de terre à Mesnil-Mauger (Calvados) a été reconnu comme aumône et restitué au prieuré de Sainte-Barbe.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Haskins Charles Homer, *Norman Institutions*, Cambridge, Harvard University Press, 1918, Appendix H, n° 2, p. 322-323.

Texte établi d'après a

Fulco Sancti Petri Lexoviensis ecclesi# decanus totusque eiusdem ecclesi# conventus dilectis in Christo fratribus Guillelmo priori de Sancta Barba totique ipsius ecclesi# conventui salutem et fraternam dilectionem. Quia liberante nos Christo non sumus ancill# filii sed libere, rerum etiam ecclesiasticarum libertati quantum possumus decet nos providere, quatinus eas et ab illicita possessione laicorum liberare studeamus et ab invasione sacrilega premunire. Terram igitur quam Rannulfus et Turulfus filius eius tota vita sua tenuisse dicuntur in elemosina apud Maisnilmalger tempore Rad[ulfi] filii Serlonis et heredum eius Guillelmi et Gauf[redi] et sic, in presentia domini Rotroci Ebroicensis episcopi Lexoviensis episcopatus curam nunc agentis, per Rog[erium] de Hotot qui tunc honorem et heredem de Maisnilmalger habebat in custodia et per antiquos homines eiusdem manerii pro elemosina recognitam, et per manus tam ipsius Rog[erii] quam Gauf[redi] filii Theoderici in manum prefati Rot[roci] episcopi quibusdam ex nobis videntibus et audientibus ut elemosinam redditam, vobis et ecclesi# vestr# per manus ipsius episcopi datam in perpetuam elemosinam, assensu et benivolentia predictorum Rog[erii] et Gauf[redi] ceterorumque qui in eorum erant consilio, protestamur. Quandam etiam partem elemosin# de ecclesia Sancti Stephani de Maisnilmalger quam predicti Rannulfus et Turulfus et post eos Guill[elmus] Burgamissam tenuerunt, quam Robertus decanus habebat in custodia, redditam in manu eiusdem episcopi liberam a predictis Rog[erio] et Gauf[redo], vobis nichilominus ab ipso episcopo datam et in perpetuam elemosinam concessam partim vidimus partim audivimus.

Huic actioni presentes affuimus ego Fulco decanus, ex archidiaconis Normannus et Robertus de Altaribus, ex canonicis Rad[ulfus] de Floreio, Rog[erius] filius Amisi, Iohannis archidiaconi vicarius, Guillelmus archidiac[oni] Ricard[i] filius, Gislebertus de Furcis, Turgisus, et alii plures. De exterioribus quoque clericis, Robertus de Hotot decanus qui totius predicti negotii mediator et actor fuit, Rogerius de Dotvilla decanus, Guillelmus de Tebervilla, et Paganus de Grandvilla. Predictam igitur pactionem terr# recognit# et reddit# in elemosinam predictus Rog[erius]

de Hotot affidavit in manu episcopi Rot[roci] se legitime et fideliter servaturum et contra omnes qui vellent adversari toto posse suo defensurum. Quod totum sicut supra scriptum est testificantes, ex precepto etiam domini Ebroicensis episcopi Rot[roci] conscriptione et sigillo capituli nostri corroboramus, ut Domino cooperante et sermonem confirmante ratum et indissolubile maneat in perpetuum. Amen. Actum Lexovii in festivitate sanctorum martirum Fabiani et Sebastiani anno incarnationis dominic# M°.C°.XL°.VIII°.